



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XXVI. De Decimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

TIT. XXVI.

De Decimis.

tum ad Fratres Sancti Augustini, & Carmelitanos. Deinde debetur de relictis Ecclesiæ Episcopo, & Ecclesiæ de relictis Episcopo. d. S. Canonica, cum sep. hoc tit. Quamvis hoc hodie non servetur de facto secundum Abb. in d. cap. fin. Est autem differentia inter primum, & secundum Casum: Quia in primo casu Testator non potest prohibere deductionem canonice Portionis. d. S. Canonica, & c. Requisti de Testament. In secundo vero casu potest. S. Item, hoc tit. d. c. Requisti. Ratio autem differentie est, quia quando relinquitur Ecclesiæ, quamvis apponatur taxativa tantum, nihilominus Episcopus non excluditur, quia in relictis continetur, cum ipse sit caput Ecclesiæ. cap. Novit. de his, quæ sunt à Præl. sine consensu Capit. At cum relinquitur tantum Episcopo, quia intuitu personæ, non dignitatis intelligitur relictum, ideo non magis Ecclesiæ Portio aliqua debebitur, quam si cuilibet privato fuisset aliquid relictum; Et ita notatur in d. cap. Requisti. ubi vide, cum sit pulcher rex. In dubio autem sic proceditur, quod si à conjuncto fuerit Episcopo relictum aliquid, canonica Portio non debetur Ecclesiæ, secus vero est si ab extraneo. S. Sed in hoc b. n. t. d. cap. Requisti, de Testament. c. 1. 12. quæst. 2. Quod si conjunctum Episcopo, & Ecclesiæ relinquatur, fit divisio. Si vero Ecclesiæ una res, & Episcopo alia sit relictæ, tunc etiam æqualis fit divisio, nisi in hoc secundo Casu ambo relictis sint contenti. S. Quod si, h. r. d. c. Requisti. 13. q. 2. c. fin. hoc tamen non intelligitur de Ecclesiis inferioribus, ut videmus.

Quod ad Postremum. Ex jam dictis patet, Portionem istam deberi ab Ecclesia Ecclesiæ, & ab Episcopo Ecclesiæ; & ab Ecclesia Episcopo. Est tamen sciendum, quod ista Portio Canonica non debetur ab Episcopo Ecclesiis inferioribus; Unde si legeretur Episcopo, & Capellis, vel Monasteriis, aut aliis piis locis, hoc casu, quod Episcopo legatur, ejus præcipuum est cum Cathedrali Ecclesia, & de illis, quæ aliis locis legantur, portionem Canonica nihilominus obtinebit: Quod ideo constituitur, quia non est tanta communio inter Monasteria, & Capellas, quanta inter Cathedralē, & Episcopum. S. Secus autem, hoc tit. Sed an hoc procedat in Parochiali? tractat Imol. in Clem. dudum, de Sepult. & Abb. in c. Officii, de Testament. qui tenet pro negativa, apud quem vide; & hoc quod supra dictum est, habet locum, nisi testator in hac dispositione dixerit, quod Episcopus relictis debeat esse contentus, quia hoc casu dispositio testatoris attenditur, nisi fraus, vel dolus fuerit commissus. S. autem, cum seq. h. r. Et tandem nota, quod si alicui, puta Canonico alicujus Ecclesiæ aliquid relictum sit, sive à propinquo, sive ab extraneo, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ intelligitur esse relictum, nisi contrarium probetur; & ideo hoc casu Episcopo non debetur portio, ea ratione, quia nec prælationem, nec administrationem Ecclesiæ habet. S. Illud etiam, h. r. d. c. Requisti, h. r. De hac materia tractat Petr. de Perus. in suo tractatu de Canonica Episcopali, & Parochiali, in 2. part. c. Quoniam autem, & c. Venio ad quintum, & Petr. de Ubal. in suo tract. de Canonica Parochiali, c. 5.

Quoniam Ecclesiis non solum debetur Canonica Portio, sed etiam Decimæ; idcirco nunc de Decimis tractatur: & ex principio hujus tituli nota, quod Decimæ mediam quandam naturam obtinent inter spirituales res, & temporales. Et circa tituli explicationem videbimus:

1. Quid sit Decima?
2. Quo jure Decima sint introductæ?
3. Quot Decimarum species?
4. Quorum Rerum Decima debeantur?
5. Qui Decimas solvere debeant?
6. Quibus Decima sint solvenda?
7. Quomodo solvenda sint?
8. Ad quid non solvens Decimas teneatur?

Quod ad primum. Decima, si vim verbi inspicimus, nihil aliud est, quam illa Portio, quæ primæ post nonum numerum succedit; sed secundum Tituli nostri materiam Decima potest describi, ut sit Portio bonorum Mobilium Deo tam Divina, quam humana constitutione debita. S. Decima h. r. c. 1. & c. Parochianos. 16. q. 1. c. Tua, il secundo, ext. eod. Vel potest dici Omnium bonorum legitime quasitorum quota pars Deo divina Constitutione debita. Tholof. in suo Tractat. Syntagm. Jur. lib. 2. cap. 22. num. 1. Et dicitur Quota simpliciter ex eo, quia in ea constituenda attenditur loci consuetudo. cap. Ad Apostolica, & cap. In aliquibus, ext. eod.

Quod ad Secundum. Ecclesiasticæ Decimæ, de quibus nunc loquimur, sine aliqua difficultate sunt Jure divino introductæ; & varia sunt in sacris paginis loca, quæ id probant, & hinc dicitur in descriptione hic tradita Divina Institutione Decimas deberi, d. cap. Parochianos, ext. eod. & si adjicitur etiam humana, Verbum illud respicit necessitatem hominibus impositam eas solvendi, non autem principium, aut originem, quoniam hæc est Juris Divini. Hinc in Exodo cap. 22. Primitias tuas, & Decimas tuas non tardabis reddere; & in c. 27. Levitici: Omnes Decima terra sive de Frugibus, sive de Pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.

Quod ad Tertium. Duæ præcipuæ sunt species constituendæ; Enim verò Decimæ vel Profana, vel Ecclesiastica existunt. Profana sunt species quædam tributæ à legibus impositæ, de quibus loquitur textus in l. 3. C. de Metalar. lib. 11. Ecclesiastica autem ratione religionis sunt debita, & propter Ecclesias, atque Ecclesiasticas personas, & de his nunc agitur, quæ adhuc in duas species dividuntur; Quoniam aliquæ Personis laicis debentur ex fructibus Ecclesiasticis, uti sunt illæ, quæ conceduntur per Summos Pontifices Christianis Principibus, ut impendant pro Christianæ Religionis utilitate contra infideles; & de his, quando Pensionarii teneantur contri- buere sex pro centenariis, non obstante exemptione à Decimis suarum Pensionum, vide meas Discordias Forenses de Jurisdictione. Discord. 1. ubi plenè de obligatione Pensionariorum solvendi Decimas per Papam concessas Serenissimæ Republicæ Venetæ. Aliæ verò sunt illæ, quæ debentur Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, & de his propriè nunc tractatur. Istæ autem rursus dividuntur in tres species, quoniam aliæ sunt Prædiales, aliæ Personales, aliæ Mixtæ.

Prædiales sunt illæ, quæ ex fructibus Prædiorum debentur, ut de vino, tritico, frumento, & his similibus. §. *Decimarum, hoc nostro tit. c. in aliquibus, & c. Ad Apostolica, eod.*

Personales sunt, quæ solvuntur ex his proveniunt, qui ex propria cuique solertia, & industria obveniunt, ut puta de negotiatione, artificio, & militia. *cap. Pastoralis, extr. eod. d. §. Decimarum, & c. Decima, 16. q. 1. & in Deuteronom. cap. 12.* inquit *tex. Decimas, & Primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, & primogenita bovum, & ovium offeretis.*

Mixtæ sunt, quæ debentur habita ratione eorum, quæ ex prædiis partim proveniunt, partim ex industria personarum; ut sunt Decimæ debite ex animalibus in eo loco, ubi pascuntur, ex quo alimenta percipiunt ex loco, & à personis custodiuntur; & hoc tenet Hostiens. in *Summ. eod. §. Quot sint ejus species, per cap. Commissum, eodem.* Gloss. tamen hic in verbo similib. videtur tenere, quod sint mere prædiales; & idem tenet Goffred. in *Summ. eod. tit. num. 3.* per multas rationes, & hoc mihi probatur.

Quò ad Quartum. Hic regula generalis est constituenda, Decimas solvendas esse de omnibus Rebus; De vino, grano, Arborum fructibus, de Pecoribus, de Venationibus, Negotiationibus, ac denique de omnibus rebus, quæ iuste acquiruntur. §. *Eadem ratione, h. t. c. Pervenit, c. Nuncios, c. Tua, c. Ex parte, cap. Ex transmissa, eod. c. Decima, 16. q. 1.* An autem etiam de illicitè acquisitis debeant solvi Decimæ? tractat Glossa. 14. qu. 5. in principio, & Gloss. etiam in d. *cap. Decima.* Sed utrùm Decimæ sint recolligendæ in Campis, vel accipiendæ ex horreis Dominorum? Et an Decima sit habenda ex campis lativis, si redigantur prativi? Vide d. *Discordias Forenses, de Jurisdic. Discord. 47.* ubi etiam de fructibus hororum.

Quò ad Quintum. Hic alia Regula est constituenda, omnes teneri, nisi speciali Privilegio quis sit exemptus. §. *Illud etiam, hoc tit. etiam si Rex sit, secundum Abbatem in c. Omnes, de Major. & obed.* Nulla obstante temporis Præscriptione, c. *Causam quæ, de Præscriptionib. facit c. A nobis, eod.* Christiani autem ad prædiales, & personales tenentur. §. *Inter eos, hoc tit.* Judæi autem, qui & ipsi Decimas solvunt, tenentur solummodo ad Prædiales. d. §. *Inter eos, cap. De terris, eod.* Et idem procedit in Monachis, & communiter viventibus, qui ad Prædiales tantum tenentur. §. *de Monachis, hoc eod. c. Decima, 16. q. 1. d. c. Commissum, & c. penult. eod. & c. Cunctis, §. 1. 16. q. 1.* Ethas Prædiales solvunt etiam de prædio novali. Novalis autem prædium est, quod nunc primum præcisum, & nuper ad culturam redactum est. c. 1. de Verb. signific. §. *Est autem, hoc tit. d. c. Commissum, & d. c. penult. c. 1. & cap. Per novalis, de Verb. signific. & c. fin. de Privileg.* Item hoc procedit etiam in his prædiis, quæ Monachi de novo acquisiverunt, & propriis manibus excolunt. §. *Sed etsi, hoc tit.* Nisi speciali Jure in iis sint exempti, c. 1. §. *Ceterum, & §. fin. eod. in 6.* facit Clem. 1. eod. Huic tamen Privilegio præjudicatur per Sententiam, vel per Præscriptionem Quadragenariam. §. *Sed nec, hoc tit. c. Accedentibus, de Privileg. cap. de Quarta, de Præscript.* Et nota, quod isti Privilegiati solvunt Decimas in prædiis conductis. §. *Super Decimis, hoc tit. c. Dilecti, eod.*

Et quantum spectat ad Privilegium concedendum super Decimis non solvendis scias, hujusmodi Privilegium non posse concedi a laicis, etiam ab Imperatore, sed solummodo a Summo Pontifice. §. *Generaliter, h. tit. c. Tua, il primo, cap. Dudum, & c. Prohibemus, eod.* Quinimmo qui de manu laicorum decimas retinere præsumpsit, Sacrilegii crimen incurrit. d. §. *Generaliter, d. cap. Dudum.*

Sed si Decimæ tributum sunt animarum egentium, & eas in signum universalis Domini sibi Deus retinuit. d. c. *Decima, & cap. Tua nobis, eod.* & constitutione divina debentur, ut supra; quomodo potest Papa concedere Privilegium de non solvendis Decimis contra præceptum Divinæ Legis, contra quam dispensare non potest, immò eam usque ad animam, & sanguinem, debet defendere? c. *Sunt quidem, 25. q. 1. & dist. 5. in princ. & cap. Qua contra, d. 4.*

Respondetur, quod Papa non dat alicui Privilegium de non solvendis Decimis, sed concedit alicui administrationem decimarum, ut inde suscipiat sustentationem, & alimenta; residuumque convertat in usus Pauperum.

Quò ad Sextum. Personales Decimæ illi Ecclesiæ solvuntur, in qua percipiuntur Sacramenta. §. *Inter Personales, h. t. c. 2. de Sepultur. in 6. c. fin. de Paroch.* Prædiales verò solvi debent illi Ecclesiæ, in cujus territorio prædia sita sunt. d. §. *Inter Personales, d. c. fin. de Paroch. & in c. Ad Apostolica, eod. & ubique notatur.* Glossa in c. *Omnes Principes, de Major. & obed.* Nisi contrarium per Consuetudinem sit introductum, d. c. *Ad Apostolica, c. Cum sint, eod.* Et percipiuntur Decimæ ab Ecclesiis, vel Sacerdotibus, cap. *Reverentissimi, c. Quicunque, 16. q. 1.* Unde collige, quod Laici Decimarum non sunt capaces, quinimmo si de manu Clericorum etiam decimas recipiunt, excommunicantur, & privantur sepulturæ; & Clericus concedens deponitur. §. *Ex contrario, h. t. cap. Quamvis, eod.* Nisi id Laici obtinuerint ex Privilegio à Summo Pontifice, qui Laicum potest reddere capacem Juris spiritualis, c. 2. & ibi not. de *Jud.* & hoc notatur in d. c. *A nobis, extr. eod.* Quinimmo illum textum aliqui ita intelligunt, ut supra dixi. Reditus tamen Decimarum potest locari etiam Laico, cum Ecclesiæ conditionem meliorem possit facere. §. *Si quis tamen, h. t. c. 2. de Locat.* Nec tamen intelligas, quod Jus ipsum percipiendi possit locari Laicis; nam hoc falsum est, ut per Abb. in c. 2. de *Juram. calumn. & cap. Pervenit, de Arbitr.* Et quod supra dictum est, intellige, dummodo hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi. d. §. *Si quis, & d. c. 2.* Et diffuse notatur in c. *Quamvis, eod.* per Gloss. quam ibi Abb. refert ab omnibus approbatam. Illud autem sciendum est, quod quemadmodum debentur Decimæ Parochialibus Ecclesiis; ita Pars Decimarum à Rectoribus Episcopo debetur, nisi Præscriptio obstat. §. *fin. hoc tit. cap. Conquerente, ubi traditur de Offic. Ordin. & per Abb. in cap. Cum contingat, extr. hoc nostro tit. ubi diffuse tractat, ad quem de Jure communi Decimæ pertinent.*

Quò ad Septimum. Decimæ Personales solvuntur deductis prius expensis. Prædiales absque deductione expensarum. §. *Item, cum seq. hoc tit. cap. Pastoralis, extr. eod.* Et hoc adeo verum est, ut nec impensæ seminis, cujus forte alias Decima soluta fuit, deducantur locis supra allegatis. Nec

Nec Decima admittit compensationem; unde impense factæ pro restauranda, de qua Decima solvitur, non compensatur. §. *Expensa*, hoc tit. & hoc procedit, tam in reali, quam in personali Decima, cap. *Non est in potestate*, cap. *Tu nobis*, c. *Cum homines*, extr. eod. Quinimmo nec census deducitur ante Decimam, cap. *Cum non sit*, eod. §. *Sed Census*, eod.

Quò ad Postremum. Qui Decimas non solvunt, quæ Deo debentur dicuntur, d. §. *Sed census*, & supradictum est, præterquam quod conveniuntur in seculari Foro, & adstringuntur ad solutionem; tanquam rerum alienarum invalores excommunicantur, nec oleo deliniuntur, nisi prius facta solutione, c. *Non sunt*, 12. §§. 25. de Reformatione in Conc. Trident. Hucusque dicta ex antiquis Doctoribus collecta sunt. At plurima à modernis Auctoribus tradita de Decimis referunt mea *Erroremata Ecclesiastica* in cap. 113. jucunda, & scitu digna; prout etiam mea *Decisiones Miscellaneæ*. Decis. 16. à num. 10. & seqq. ubi docentur media à Parochis adhibenda, ut populi fideliter Decimas solvant,

T I T. XXVII.

De Rebus Ecclesia alienandis, vel non.

Cum suprà titulis superioribus visum sit de Rebus Ecclesiasticis merè spiritualibus, ut sunt Sacramenta; Itemque de Rebus Ecclesiasticis, quæ quodam respectu sunt spirituales, quodam alio respectu sunt temporales, nunc de Rebus Ecclesiasticis merè temporalibus videndum est. Et quoniam est maxima difficultas circa ipsarum Rerum alienationem; ob id nunc de hac materia tractatur, Et pro tituli expeditione videbimus:

1. Quid verbo alienationis contineatur?
2. Quando possint Res Ecclesiastica alienari?
3. Qua requirantur in earum alienatione?

Quò ad Primum. Lata est significatio ista, cum alienationis verbo comprehendatur Venditio, Locatio ad longum tempus, Emphyteusis, Hypotheca, Donatio, & omnis actus, per quem dominium transfertur, c. *Nulli*, extr. eod. *Extravag. Pauli* 2. *Ambitiosa*, c. 1. l. 1. c. de fund. Dotal. & l. *Alienationis*, ff. de Verb. signif.

Quò ad Secundum. Regula est generalis, de Jure Civili, & Canonico non posse Res Ecclesiasticas vendi, nec alio modo alienari, si immobiles existant: Si verò Res mobiles sint, ut sunt fructus, & redditus, possunt ad tempus modicum concedi, Clem. 1. in fine, eod. §. *Idem juris*, hoc nostro tit. Undè si rei immobilis Ecclesiasticæ alienatio fiat, erit nulla, c. *Sine exceptione*, 12. quast. 2. cap. *Hoc jus porrectum*, 10. quast. 2. l. *Invenimus*, c. de Sacros. Eccles. & 12. q. 2. per totam.

Excipiuntur tamen hi casus: Primus est casus necessitatis pro debitis solvendis, §. *Sed nec*, cum seq. hoc tit. d. cap. *Hoc jus porrectum*. Secundus si Clericus se obligaverit pro Ecclesiæ utilitate, c. *penult.* & ibi Abb. de Fidejuss. §. *Debitor*: in fine, tit. eod. nostro. Tertius si existente consuetudine aliquid parvi momenti in Benemeritum erit collatum; nam tenet hoc casu alienatio, §. *Excipiuntur*, hoc tit. Abb. in cap. *ceterum*, de Donat. cap. *fin.* de Pecul. Cleric. Quartus est Casus si locus conceditur pro construenda Ecclesia §. *Multò magis*, hoc tit. cap. *In venditionibus*, 17. quast. 4.

Quintus si tractabitur de concedendo in Emphyteusm illud, quod Ecclesiæ non affert utilitatem. cap. *Si quos*, 12. quast. 2. c. *Terrulas*, ead. caus. & ibi notata, §. *Terrulas*, h. t. Unde eadem ratione potest Episcopus alienare servos fugitivos, qui retineri non possunt, §. *Simili*, h. t. c. *Fugitivos* 12. quast. 11. Item si Feudum à Vassallo alienatum fuerit, nec Episcopus posset de facili illud recuperare, potest alteri sub conditione recuperandi concedere §. *Sed & h. t. c. 2. de Feud.* Vel etiam in hoc casu poterit Episcopus alienatis Filium, vel consanguineum, vel ejusdem Feudi Consortem investire, §. *Quinimmo*, h. t. & not. in d. c. 2. de Feud. facit c. *Per tuas*, de Donat. Septimus casus est, si Prælatus aliquid Ecclesiæ reliquerit, vel acquisierit; nam hoc casu pro modo relictæ, vel acquisitæ poterit aliquem de familia manumittere, §. *Illud h. t. c. Consensus*, eod. Octavus si Princeps ex causa permutare voluerit rem vel majorem, vel æqualem cum re Ecclesiastica, §. *Sed & Princeps*, h. t. c. 1. de Rerum permut. Præter hos casus est alius etiam, quando scilicet ex causa pietatis pro redemptione captivorum, vel alendis Pauperibus fit alienatio, cap. *Sacrorum*, 12. quast. 2. ubi etiam enumerantur aliz causæ. Præter itaque has, & similes causas alienatio interdicta est, nisi quis rem Ecclesiasticam justo titulo, & bona fide per tempora sacris Canonibus constituta præscripserit, §. *Præterea*, h. t. Excipiuntur tamen Decimæ, & Oblationes §. *fin.* hoc tit. c. *Ad alios*, c. *Vigilanti*, de Præscript. c. *Placuit*, §. *Sic etiam* 16. quast. 3.

Quò ad Postremum. Hæc requiruntur: Primò, ut interveniat consensus Prælati, & Capituli, §. 2. sup. eod. c. *Nullus res*, 17. quast. 4. c. *Nullis* eod. Secundò, ut agatur de Ecclesiæ utilitate, d. §. 2. cap. *Sine*, 12. quast. 2. Tertio, ut interveniat auctoritas Summi Pontificis, d. §. 2. cap. 2. eod. in 6. Et hæc omnia fiant cum causæ cognitione, d. c. 2. & d. *Extravag. Ambitiosa*, pro cuius vera intelligentia lege mea *Erroremata Ecclesiastica*, c. 33. à num. 10. & seqq. ubi plures difficultates circa illam declarantur. Cætera vide hic per Gloss. & per Goffr. in Summ. eod.

T I T. XXVIII.

De Peculio Clericorum, Relictis, & Successionibus eorum.

Actum est suprà de Rebus temporalibus Ecclesiæ, nunc tractatur de Rebus Temporalibus Clericorum: Et videbimus ad tituli explicationem

1. Quid Peculii nomine contineatur?
2. Quid verbum relictæ significet?
3. Quid Successio?
4. Cui quæ sit à Clerico acquiri intelligantur?
5. De quibus possit Clericus disponere?
6. Ecclesia nomine quid comprehendatur?

Quò ad Primum. Peculium propriè est Patrimonium illud, quod habet Filius, vel servus separatim à rationibus Dominicis, vel Paternis, l. *Depositi*, ff. de Pecul. cujus quatuor sunt species: Castrensè, quod à Parentibus, vel cognatis, aut etiam aliis penitus extraneis occasione militiæ filio familias donatum est; vel quod Filius in Militia acquisivit; de quo est titulus in Pandectis de Castrensi Peculio; & in hoc filius habet plenum dominium, l. 1. §. *Nec Castrensè* ff. de Castrensi Pecul. Quasi Castrensè est secundum, quod scilicet acqui-